

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Perfectio o  
cum fonte primo

Fiat uoluntas tua.

(Matt. 6:10).

Voluntas Dei est quam Christus et fecit et docuit: humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, uerecundia in uerbis, in factis iusticia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse et factam posse tollerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod dominus est, Christo nichil omnino preponere quia nec nobis quicquam ille preposuit.

Cyprianus epistola V. de oratione dominica.

Voluntas autem Dei est quam Christus et fecit et docuit. Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, uerecundia in uerbis, in factis iusticia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse et factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omnino praeponere quia nec nobis quicquam ille praeposuit,  
caritati eius inseparabiliter adhaerere, cruci eius fortiter ac fidenter adsistere, quando de eius nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam qua confitemur, in quaestione fiduciam qua congredimur, in morte patientiam qua coronamur: hoc est coheredem Christi uelle esse, hoc est praeceptum Dei facere, hoc est uoluntatem patris implere.

Cyprianus Carthaginensis, *De dominica oratione*, 15 (CCSL 3A, C. Moreschini ed., p.99, ll.270-282).